Gutike, Conrad Dietrich
Helmstadt

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE REGIMINE CAPITIS PRAECIPVE QVOAD CALOREM ET FRIGVS

QVAM

ADNVENTE DEO
AVCTORITATE ET CONSENSV
ILLVSTRIS ET GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN ALMA IVLIA CAROLINA

PRAESIDE

D. PETRO GERIKE

SERENISS. DVCIS BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM A CONSILIIS AVLAE ET ARCHIATRO, CHEMIAE MEDICINAE THEORETICAE ET MATERIAE MEDICAE PROFESS. PVBL. ORD. SOCIETATIS REGIAE SCIENT. BEROLINENS. MEMBRO GRAVISSIMO ET FACVLTATIS MEDICAE H. T. DECANO ATQVE BRABEVTA SPECTATISSIMO

PATRONO PRAECEPTORE ATQVE PROMOTORE SVO
AD CINERES VSQVE PIE VENERANDO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET IMMVNITATIBVS DOCTORALIBVS MORE MAIORVM RITE CAPESSENDIS

D. XXVII. SEPTEMBR. CIϽ IϽ CC XXXXV.

IN IVLEO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

AVCTOR
CONRADVS DIETERICVS GVTIKE
KYRITZENSIS PRIGNITIVS.

HELMSTADII
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII ACAD. TYPOGR.



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

REGIMINE CAPITIS PRAESERTIM QVOAD CALOREM ET FRIGVS.

§. I.



uamquam cujuscunque partis in corpore humano artificiosæ actiones adorandam ſummi Numinis potentiam atque ſapientiam luculentiſſime teſtentur: inter omnes alias tamen capitis functiones eminent ac dignae admiratione ſunt. Easdem vero etiam pro vtiliſſimis maximeque neceſſariis iure meritoque habendas eſſe, omnia

recte reputanti facile adparet. Praesunt enim illarum aliquae motibus infinitis, omni momento ad vitae totiusque corporis conseruationem apte & homine inscio dirigendis. Aliae voluntati parent, & motus non minus innumeros ad eius nutum producunt momento citius: aliae corporis sui statum & corporum aliorum exsistentiam & proprietates homini manifestant: aliis denique motus illi maxime admirandi perficiuntur, quibus in hac animae & corporis societate opus est, vt illa sensuum internorum exercitium rite peragere queat. Inseruiunt illae omnes, exceptis primis, conseruando animae cum corpore commercio, vtque homo humanas actiones edere queat, faciunt.

§. II.

Sunt proinde etiam diuersa in capite organa, functionibus iis omnibus destinata, & artificio inexplicabili parata, & maiori, quam reliqua in corpore humano, fabrefacta. Vitae quidem & necessitatibus eius prospicit cerebellum, quod sub posterioribus cerebri lobis & in inferiori cranii parte situm, ex innumeris canaliculorum myriadibus conflatum, spiritus, vitales & naturales dictos, secretos, per neruos motu progressiuo ad partes omnes ablegat. Hoc vero mechanismo functiones memoratas praestari, confirmant varia experimenta adhuc in brutis instituta, nec non læsiones cerebello inflictae, item variae cerebri adfectiones morbosae.

§. III.

§. III.

Cerebrum vero in anteriori & fuperiori cranii parte fitum, & duo quafi hemifphaeria repraefentans, eadem, qua cerebellum, fed vti e functionum eius magna diuerfitate non fruftra colligitur, longe magis admirabili vaforum compofitione, formatum eft. Secernuntur in eo fpiritus animales, libero fenfuum internorum ac externorum exercitio dicati, a neruis partim progresfiuo motu ad omne corporis punctum deferendi, partim alio, omni conceptu celeriori, & a priori diftinguendo, functionibus animae motibusque voluntariis famulantes. Hocce fpirituum motu, quem tremulum Ill. Dn. PRAESES *) adpellauit, commercium animae cum corpore peragitur, qui in perceptionibus a neruorum extremitatibus ad commune fenforium propagatur; in motibus voluntariis autem a fenforio communi ad neruos, mufculorum actionibus inferuientes.

§. IV.

Eft ergo cerebrum propter hasce fuas functiones nobiliffima fine dubio pars totius corporis humani. Et fi enim partes aliae quaedam magis ad vitam continuandam pertineant, & fine hac functionum in cerebro exercitium nullum fit: praeftat tamen longe, hominem adultum eas actiones edere, quibus praecipue inter homines refertur, quam vitam qualemcunque viuere. Intelligitur inde facile, quanta cura inter multos alios prouidendum habe-

 ant

*) Vid. eius Differt. fingularia quaedam de fenfibus externis exhibentem.

ant eruditi, qui ſolo, & alii, qui qualicunque ingenio viuunt, vt cerebrum cum omnibus eius functionibus recte ſe habeant. Poteſt ſane, quod omnes optandum habent, mens ſana eſſe ſaepe in reliquo corpore vtcunque adfecto. Aegre vero & raro ſana illa degit in cerebro male conſtituto, neutiquam autem, ſi in hoc vitium quoddam grauius haeret. Nec raro accidit, vt a levi quadam cerebri perturbatione e compoſito alias ſtatu ſuo deiiciatur, neque meditationes recte ſuccedant, voluntas vero contra ſapientiae regulas decernat. Cum tamen ſine vita functiones animales exerceri nequeant, & illa a cerebello maxime dependeat, ceu a quo cor ipſum ad motus ſuos inſtituendos impellitur: manifeſtum ex vtraque ratione fit, quanti referat, partes has ſub cranio latentes recte ſe habere, ſeu, vt Germani loquuntur: hominem ſub pileo recte compoſitum eſſe.

§. V.

Sed aliae adhuc maxime nobiles aeque ac neceſſariae capitis functiones adtentionem merentur. In ambitu enim eius & circa eum incipiunt & determinantur quatuor praeſtantiſſimi e ſenſibus externis. Quintum vero, ſeu tactum cum reliquis corporis partibus communem habet. Inſtructum proinde eſt caput organis quatuor ſingularibus, quae ab vſu ſuo, *viſus, auditus, guſtus & olfactus organa dicuntur*, & mirabili artificio fabrefacta ſunt. Siſtunt ea nobis corporum externorum adfectiones, dum motus tremuli, in illorum neruis ab obiectis excitati, ad ſenſorium commune in medullari cerebri

bri ſubſtantia propagantur; & pro eorum diuerſitate perceptiones, quas producunt, maxime differunt. *Viſus* enim nobis radiorum luminis interuentu corporum magnitudines, figuras, ſitus, motus & colores delineat; *auditus* aëris motum tremulum ac ſimilem illi, a quo propagatus fuit, ſub ſoni idea nobis ſiſtit. *Olfactus* ſpirituoſa alcalina & oleoſa volatilia ſub ſingulari aliqua grata vel ingrata idea; *guſtus* ſpirituoſa & ſalina ſub varia acidi, amari, dulcis, auſteri idea nobis ſiſtit. Excitatur hic in lingua; quae praeter hunc & varios alios vſus, eum adhuc praecipuum habet, vt articulata voce animi noſtri ſenſa cum aliis communicare queamus: quamuis ei rei plures adhuc aliæ partes inſeruiant.

§. VI.

Patet iam magis adtendenti ad excellentes hasce functiones, omnium intereſſe hominum, eruditorum maxime, caput incolume ſemper conſeruare atque omnibus functionibus, huc usque commemoratis, probe aptum. Qualis enim cerebri, cerebelli nec non reliquorum capitis organorum ſtatus eſt, tales functiones illarum partium, inde dependentes, deprehenduntur. Teſtatur praeterea quotidiana experientia, cum ratione conſpirans, capite, adfectibus etiam leuioribus, multo vero magis grauioribus, laborante, omnes corporis partes, aliquas vero ſingulari praeterea modo, facile in conſenſum trahi, earumque functiones mirandum ſaepe in modum turbari atque laedi poſſe. Docet vtraque functiones viciſſim animales, morbo fere quocunque reliquum

corpus adfligente, ita ſaepius labefactari, vt omnes meditationes difficulter, aut prorſus non procedant.

§. VII.

Curae igitur pretium, circumſpectis his omnibus, eſſe exiſtimaui, de REGIMINE CAPITIS in praeſenti Diſſertatione tractare; vtpote quo probe obſeruato, varios morbos auertere, omnium capitis functionum aliarumque ab his dependentium vigorem atque incolumitatem conſeruare ac promovere poterimus. Tractabimus autem iam nunc tantum quasdam maxime obuias & ſemper varia ratione caput adficientes cauſſas, calorem ſcilicet & frigus, humiditatem & ſiccitatem cum paucis aliis.

§. VIII.

Conſiderandum ergo ante omnia eſt, quasnam hae cauſſae (§. VII.) adductae, mutationes in ſolidis, fibris nimirum, membranis & vaſis nec non in humoribus noſtris producere queant & ſoleant. Solida e particulis terreis, pauci olei interventu, coagmentata & vi elaſtica praedita, varie ratione cohaeſionis mutari poſſunt. Quale quid etiam humoribus, ſanguini praeſertim, humori, ex ſolidis & fluidis compoſito, & cuius particulae diuerſae inter ſe vi non admodum magna cohaerent, accidere poteſt. *Calor* in fibris, & ex iis conflatis membranis & vaſis, partibusque maioribus, cohaeſionem minorem facit, elaſticitatem hinc imminuit, partibusque debilitatem & laxitatem conciliat; omnes humores rarefacit, elaſticitatem, ſecus ac in ſolidis fit, auget, fluidiſſima

laticis

laticis vitalis dissipat, particulasque crassiores, lentiores, salinas, fixiores, oleosas tenaces coaceruando, haud raro periculosas obstructiones & inflammationes facit. *Frigus* cohaesionem maiorem reddit, fibras membranarum & vasorum adcurtando, densando, roborando; atque sic actionem earum in fluida auget; vasorum etiam amplitudinem minorem facit; crassiores humorum particulas magis compingit& elaterem eorum minuit, omnique hac ratione obstructionibus ansam suppeditat. *Humiditas* eadem fere, ac calor, producit effecta. Laxat & debilitat fibras ac proinde earum elaterem tollit: sed poros praeterea in cute obstruendo perspirationem Sanctorianam turbat & ita humorum in corpore copiam auget. *Siccitatis* denique effectus sunt, fibras roborare, arctare atque elasticitatem augere, humidissima abripere, crassiores autem partes densare atque circulationi minus aptos reddere. Quod si quaedam ex his concurrunt, e.g. calor & humiditas, multo grauiora enascuntur mala, fitque tunc cohaesio longe minor, materia scilicet calorifica & aqua simul contactum impedientibus. Si autem frigus iungantur & siccitas, cohaesio & inde resultans elasticitas valde augentur, neutro fluido illas impediente *)

§. IX.

Nullas vero corporis humani partes a calore, frigore, humiditate & siccitate adfici magis posse atque debere, quam cerebri & cerebelli substantiam, vtriusque tenerrimam fabricam respicienti patebit,

*) v. Celeber. PRAES. Differt. de ratione valetudinis & praesidiis autumno.

bit. *Calor nimius* membranas harum partium, vaſa ſanguifera & propria medulloſa reſoluit: hinc ab eadem cauſſa rarefactus ſanguis verſus interiora capitis ruit, ſtagnat, vaſa nimis in iis diſtendit, arterias præſertim, naturaliter minus munitas, quam in aliis locis, & liquidiſſimis partibus calore abreptis. Plurimum autem ſine dubio in ſpirituum motu omni turbat. Ab *humiditate*, corpori quocunque modo adplicata, eædem fere propter imminutam cohaeſionem in ſubſtantia, vaſis & membranis cerebri & cerebelli proueniunt mutationes. Sed ob denegatam perſpirationem humores, in corpore adcumulati, meningum & alia capitis vaſa magis adhuc diſtendunt & cerebro moleſti ſunt. Vnde ſegnis & inordinatus ſpirituum in eo motus; & ſegne ſenſuum omnium exercitium. *Frigus* non admodum magnum vt corpus uniuerſum, ita & caput robuſtius facit. Reliquae in capite mutationes, inde productae, multum differunt: prouti illud interim habetur, & vita hominis reliqua eſt. Maius ſi ſit, humores praeſertim ſeroſos in membrana Schneideriana, oculis, auribus & capitis integumentis coactos, detinet, paulatim etiam in illius interioribus, per ſe frigidioribus, quam aliae corporis partes molles ſunt. Idem ſpirituum motus fere ſiſtit, & per canales medullares cerebri conſtrictos ægre progredi ſinit. *Siccitas* tum reliquo corpori, tum maxime capiti admodum conueniens eſt, & raro nocet, etiam maior, niſi valde diuturna ſit. Tunc enim ſanguinem, exhauſto liquidiſſimo, in partibus, quas ſub frigore nominaui, denſat nimis, acres reddit, detinet,

tinet, & exhalationem vaporum, illis humectandis necessariorum, impedit. Quae saepe origo morborum capitis valde acutorum est. Saepius tamen adiuncto calore, interdum etiam frigore, nocet.

§. X.

Cum intersit vitae & actionum eius plurimum, spiritus omnes in cerebro & cerebello continue & aequabiliter secerni, tum etiam per canales medullares illarum partium & neruorum ea ratione promoueri; motum vero spirituum tremulum inter eorum canalium initia & extrema non turbari: haec vero omnia varie a sanguinis motu versus encephalon valde inaequali impediri queant: iuuat nunc, paucis ad naturae solertiam adtendere, qua illis impedimentis obuiam iuit.

§. XI.

Arteriae, quae cerebro & cerebello prospiciunt, sanguinem, pro spirituum maxime secretione, eis adducentes, quatuor sunt, carotides duae & duae vertebrales. Carotides ex inflexa aorta prodeuntes recta adscendunt trunco singulari ac indiuiduo, fere iuxta vtrumque asperae arteriae latus per collum, atque prope tertiam eius vertebram in duos explicantur ramos; quorum alter in vtroque latere sub nomine carotidis internae caluariae penetralia ingreditur; alter vero, carotis externa dictus, ad capitis partes exteriores progreditur. Simulatque processum styloideum adtigerunt internae carotides, paulum bis incuruatae, per octauum foramen, ossi cuneiformi ad canalis modum insculptum, membra-

nam a dura matre mutuantes, caluariam ingrediuntur; quam vero, ſimulatque ex hoc canale egreſſae ſunt, ſtatim deponunt, & ſub dura matre prorepṫantes verſus poſteriorem proceſſum ſellae turcicae adſcendunt; mox vero aliquo modo intortae ad latera ephippii rurſus deſcendunt; poſtea vero paululum incuruatae adſcendentes, duram menyngem ad latera infundibuli perforant, verſus piam matrem & cerebrum deriuantur, atque pluribus propaginibus mire hinc inde intortis ipſis proſpiciunt. (*) Arteriae autem vertebrales, ex ſubclauiis oriundae, perpendiculari fere adſcenſu per foramina proceſſuum lateralium vertebrarum colli feruntur. Quam primum epiſtrophaeum adtingunt, (**) corpori eiusdem trium vel quatuor linearum profunditate inſeruntur; ex quo tandem normali directione per canalem, vtrique proceſſui transuerſali huius vertebrae inſculptum, regreſſae, proceſſus Atlantis transuerſos tranſeunt, atque per magnum occipitis foramen miris flexibus (*) cranium ingrediuntur; deinde, vna ceruicali arteria conſtituta, carotidibus per anaſtomoſes iunctae mireque implicatae, largiter per cerebellum & cerebrum diſſeminantur, vbique vero carotidum ramu-

(*) Williſ. Anat. cerebri cap. VIII. Ridley Anatom. cerebri cap. III. IV. Minorem eius ramum, qui per foramen decimum caluariam intrat, nunc omitto; de quo vid. Spigel. Anat. L. VI. cap 2. & Ridley cap 3. qui a nemine ante ſe viſum eum, ſed falſo, dicit.

(**) vid. Nicolai Diſſ. de directione vaſorum Argentorati 1725. habitam p. 9.

(*) conf. Illuſtr. & celeberr. Heiſteri, Praeceptoris mei & Patroni aeternum ſuſpiciendi comp. Anat. §. 272. & §. 293. cum Not. 66.

ramulis occurrentes & anaſtomoſibus vnitae. Vlteriorem carotidum & vertebralium decurſum qui noſſe deſiderat, adeat WILLISIVM, VIEVSSENIVM & RIDLEY.

§. XIII.

Teſtantur hæc (§.XI.) naturam de directione vaſorum ad caput pertinentium, quam rudi admodum penicillo delineare tentauimus, maxime ſolicitam fuiſſe. Rite enim circumſpectis omnibus, patet, ſingularem hancce vaſorum diſtributionem & inclinationes ad promouendam æquabilem ſanguinis circulationem, nec non ad auertendum omnem eius impetum a cerebro egregie inſeruire. Videtur autem haec vaſorum incuruatio praecipuam continere rationem, cur ſanguis ſub vario ſtatu & poſitu corporis non nimia copia & impetu, & aequabilius, quam ſi recta via eo propelleretur, feratur. Inuenit enim in quouis inflexionis puncto vtriusque arteriae, ad cerebrum tendentis, ſanguis nouam reſiſtentiam, atque in motu ſuo quidpiam retardatur. Idem alia ratione contingit in mutuo concurſu ſanguinis, per carotidis ramos verſus ceruicalem arteriam progredientis, & in vltimis vtriusque arteriae ramulis.

§. XIII.

Fit eō artificio, vt vaſa ſanguinem e cranio reuehentia commode id facere queant; dum eum paulatim ab arteriis accipiunt. Eſt vero in illis quoque ſingularis fabrica adtendenda. Non enim hic, vt alibi fit, venulae eum maioribus venis tradunt,

 ſed

ſed diuerſis vaſis, quae ſinus vocant. Locati eorum ſunt in cerebro quatuor notabiliores, (decem in genere, vel vndecim alii numerant) triangulari figura, intra durae matris duplicaturam, ſanguinemque receptum ad venas iugulares internas partim, partim ad vertebrales venas, vtrimque vero tandem ad venas ſubclauias, cauam & cor reducunt. Ne a ſanguine nimis diſtenti, quod venis alibi ſaepe accidit, cerebrum comprimant, robuſtam tunicam habent, & transuerſis ligamentis intra cauitates eorum cautum eſt. An ſub impetuoſo ſanguinis ad encephalon fluxu carotides arteriae partem eius ſinubus & receptaculis durae matris, quæ minores quaſi ſinus ſunt in baſi cranii, tradant, ne ipſae quoque nimis dilatentur, in magno Auctorum adhuc diſſenſu, vlterioribus experimentis dirimendum erit. Sinus autem laterales, antequam iugularibus venis ſanguinem tradant, in amplos ſpecus expanduntur, vti etiam vertebrales venae, antequam a iugularibus partem ſanguinis accipiant; vt a capitis interioribus nimis impetuoſe interdum recurrens, ſpatium, vbi ſecedat, reperiat, neque ſecuturum porro diutius in capite retineat. Quod porro ne fieret, ita proſpexit natura, vt in egreſſu venarum ex cranio arteriae his haud adiaceant, ſed vtraeque foraminibus diſtinctis egrediantur: quae ſi coniunctim per foramina cranio in ſculpta tranſirent, periculum ſane foret, ne dilatatione & motu arteriarum vaſa venoſa, in canali oſſeo cedere neſcia, valde comprimerentur, atque aequabilis & liber ſanguinis e cerebro & cerebello egreſſus impediretur.

§. XIV.

§. XIV.

Duorum adhuc mentionem iniiciam, cum omnia huc pertinentia memorare iam non liceat. Eſt in coalitu vtriusque arteriae vertebralis ſpinalis arteria, quae per totam ſpinam deſcendit. Ruit huc, dum praeſertim caput erectum eſt, proprio pondere non pauca ſanguinis pars, ad cerebrum forte nimia vi aut copia propulſi. Altera obſeruatio eſt, quod nulla humani corporis pars mollis paucioribus vaſis ſanguiferis inſtructa adpareat, quam medullaris cerebri & cerebelli ſubſtantia. Quae in ea deprehenduntur, in ambitu maxime poſita ſunt, vti in exteriore ſub cortice cerebri arteriae quaedam non admodum magnae; (*) & in ventriculis duobus maioribus plexus choroideus, ex arteriolis & venis contextus; & glandulae pituitariae adiacens exiguum in homine rete mirabile.

§. XV.

Docent haec omnia, (§. XI. - XIV.) quomodo cautum ſit, vt, quod antea indicaui, (§. X.) ſpirituum ſecretio & motus in cerebro & cerebello aequabili ratione contingant. Docent in primis paulo ante dicta, (§. XIV.) & ſinuum poſitus extra limites vtriusque partis, quam ſtudioſe natura calorem omnem paulo maiorem a medullari ſubſtantia arceri voluerit: ne, vt videtur, medullarium tubulorum robur labefactaretur, nec ſpirituum internus motus a caloris materia turbaretur, nec forte illorum craſis nimis mutaretur. Ne tamen frigidis illis partibus calor omnis deficeret, in ambitu illorum tantum illius

(*) RIDLEY Fig. V. i. i.

lius concessit, quantum pro mediocri fotu satis esse poterat.

§. XVI.

Quam autem egregie his rebus vasorum sanguiferorum in capite fabrica & distributione a natura prospectum sit: varia tamen sunt, quae vt alia, ita haec eius consilia turbare valent. Sic notum est, a plethora omnia corporis vasa distendi. Tantum autem abest, vt cerebri & cerebelli vasa excipiantur, vt potius haec praecipue inde adfici crediderim. Sunt enim vtriusque vasa, sanguifera praesertim, reliquis corporis humani multo subtiliora atque tenuiora, nec ambientium partium renixu sic, vti alibi coercita, humores tam expedite promouent. Quare adcumulati hi in plethora, vasa & membranas distendunt, & subiectas partes, exeuntesque in primis e cerebro neruos vario cum effectu premunt. Multo vero grauiora enascuntur mala, si idem abundans sanguis calore rarefit; quod illi prae sanguine aliarum partium facilius eam ob caussam accidere credibile est; quia subtilior ex aorta sursum magis, quam deorsum rapitur; eumque spirituum secretio requirit. Solet vero talis rarefactioni magis, quam crassus opportunus esse. In hoc ergo casu cum maxima vasorum contingat distentio; inde porro insignes cerebri & cerebelli oriantur compressiones: fieri non potest, quin liberum sensuum internorum atque externorum, nec non actionum voluntariarum atque inuoluntariarum exercitium maxime mutetur, labefactetur atque interdum prorsus

plus

plus minusue ſufflaminetur. Grauiſſimi vero & ſaepe lethales ſequuntur effectus, ſi ſanguinis arterioſi & ebullientis extra vaſa fiat eruptio, & apoplexiam producat: quod in ſenibus, & iis, qui ex aliis cauſſis caput debilitatum habent, haud infrequenter contingere obſeruatur.

§. XVII.

Non immerito inter eas cauſſas, quas ſupra recenſui, (§. IX.) caloris praecipuam quandam hic rationem eſſe exiſtimaui. Nullam enim vero ex illis in corpus humanum functiones animales magis labefactare poſſe, quam calorem, ſiue is externus corpori applicetur, ſiue interius in corpore excitatus ſit, cuiuis, effectus a calore oriundos & (§. VIII. & IX.) deſcriptos conſideranti haud difficile iudicare licet. Quare etiam obſeruamus, in hominibus ceterum ſaniſſimis a ſolo calore paulo maiori cogitationes & meditationes ſtatim turbari atque difficulter procedere. Sunt alii homines, qui, ſimulatque caput ſiue ſolari, ſiue cuicunque calori exponunt, intenſiſſimis mox excruciantur doloribus, vertigine aliisque malis. Adparet autem caloris effectus praecipue diebus canicularibus, vbi tantae ſaepe ſpirituum ab eo commotiones exoriuntur, vt multa animalia, praeſertim canes, vulpes & lupi in furorem agantur & rabida fiant; quale quid interdum hominibus quibusdam ipſis contingit.

§. XVIII.

Frigoris temperati e contrario vtilitatem jam ſupra (§. IX.) adtigi, & porro e §. VIII. intelligere licet. Roborat ergo ſolida omnia; quod robur omnibus vaſis, praecipue medullaribus in cerebro & cerebel-

rebello neceſſarium eſt. Idem humores temperate denſat, per vaſa promovet, actione horum adtritum in illis auget, & tranſpirationem rite moderat. Quare ſub illo ſpirituum bonorum ſecretio & motus omnes quam optime fiunt, & minimum turbantur. Quae inter alias magna ratio eſt, quare matutino tempore, vere & autumno, ſi modo haec anni tempora tempeſtates non nimis, nec diu pluuioſas aut ſaepius mutabiles habent, cogitationes & meditationes optime ſuccedant, aeſtate vero in locis mediocriter vmbroſis, non tamen ſimul multo vapore repletis.

§. XIX.

Quae tamen ab excedente frigore mala produci queant ac ſoleant, ſupra (§.IX.) memorata quoque docere queunt, & experientia teſtatur. Prima fere in capite ſunt grauedines, coryzae, cephalaeae, hemicraniae, claui, extra cranium adhuc haerentia; mox iidem dolores, ſed intimiora occupantes. Quod ſi ſanum corpus ſaeuiori frigori hyemali diutius exponatur, ſtatim in eo ſegnities ad functiones omnes peragendas oritur, torpor praecipue in functionibus animalibus, & ſtupor; donec illae paulatim omnes, & tandem reliquae cunctae cum vita ceſſent.

§. XX.

De humiditatis & ſiccitatis effectis in capite ſupra dictis, (§. IX.) multa nunc non addam. Prior, quamuis exterius illi adplicata ad capitis interiora non facile penetret, in exteriora tamen in ſuperiori parte ſenſibilius agit, & propter connexionem pericranii

cranii

cranii cum dura matre, & neruorum in omnibus eius integumentis cum interioribus consensum magnum, illas partes relaxando, has quoque saepe non parum adficit; tum transpirationem tam in reliquo corpore, quam in capite, valde impediendo, incommoda in eo auget. Quare sub aëris constitutione humida, si paulo diutius haec protrahatur, minus fere alacres homines obseruantur ad obeundas functiones animales, & tandem in tristitiam proniores sunt: in dispositis vero morbi, quales sub frigore recensui, (§. XIX.) facile oriuntur.

§. XXI.

Non patitur limes scripturae huic praefixus, caussarum, de quibus hactenus egimus, vim, si illae intra corpus humanum enatae sunt, examinare. Longum id foret, & ad morborum genus omne nos deduceret. Direximus ergo nunc curam nostram ad illos effectus, quos exterius & capiti ipsi praesertim adplicatae producunt: vt, cum ita semper varia ratione quibuscunque hominibus adplicentur, reperiamus, quomodo sanos agere & cauere oporteat, ne iniuriam inde quandam accipiant, sed vt functionibus suis recte exercendis integrum caput semper contra harum caussarum vim conseruent.

§. XXII.

Adparet autem rem omnem hanc reputanti statim, aliis regulis opus esse Romae, aliis in Ægypto, aliis in Germania, aliis denique in Islandia: aliter quoque formandum & custodiendum esse ca-

C caput

put Martis filiorum vel agricolæ, aliter eorum, qui Mineruae caſtra ſequuntur. Recte cum iis agitur, qui vitae generi vtrique priori deſtinantur, ſi capita eorum mature frigus, calorem, humidum, ſiccumue aërem, prouti ea contingunt, ferre adſuefiunt; vt firma reddantur, nec poſtea diuerſitatem illorum & incommoda inde valde ſentiant. Sed alia eruditorum ratio eſt. Interim cum infantum & puerorum corpora omni vitae generi, quantum fieri poteſt, recte adaptentur, cum futura non ſemper in parentum manu poſita ſit: & robuſtum caput non modo nulli noceat, ſed etiam morbis minus ſit opportunum; tandemque in prima aetate machina tenera corporis magis formanda, quam animus multum fingendus ſit: non dubito hanc generalem regulam inde deducere: *caput infantum mature cuicunque aëris viciſſitudini adſuefaciendum & veſte non multa, ſæpe nulla muniendum eſſe.* Valere autem ſimul hic, quod in omni vita, & in obſeruatione ſecuturarum regularum debet, *ne quid nimis.*

§. XXIII.

Ab illo tempore, quo litterarum ſtudia quis agitare paulo magis incipit, & deinceps, praeſtat caput nulli cauſarum memoratarum actioni nimium, vel diutius exponere; ſaltim, dum animus in meditationibus verſatur, vel ad has ſe accingere vult. Nondum ea Hyperboreae gentes adhuc ediderunt ſpecimina, vt frigus fauere ingeniis humanis nobis perſuadeant: neque in Germania noſtra ſub Ioue frigido, vel nebuloſo multorum ingenia

nia probos fœtus edere exiſtimo. Feliciora ſemper ingenia Aſia, quam Scythia, aluit, tumidiora tamen non nihil ſimul, & ipſa Africa, aliquanto ſiccior illa: quamuis, an intra tropicos bonae frugis multum ab ingeniis producatur, dicere nunc non posſim.

§. XXIV.

Excitat ergo calor mentem, & prius torpentes forte ſpiritus animales, horumque motum inteſtinum ſuſtinet. Quare etiam idem aliquanto maior plus eruditi capiti vtilitatis & commoditatis adfert, quam frigus paulo aſperius. Linea, quæ vtrumque recte diſterminat, ita, vt arbitror, optime ſemper definitur, ſub qua neutrius perceptio notabilis ſit. Extra meditationum tempus vel frigus, vel calor capiti magis conuenire poteſt, pro reliqua eius conſtitutione; ſaepius tamen frigus, vt illud roboretur iterum.

§. XXV.

Apud nos itaque æſtate calor, quem conclauia, aut alia loca, ſoli non nimis expoſita, habent, hyeme mediocris, & ad ſimilem fere gradum in illis excitatus, capiti ſufficere poteſt. Illum, quem camini exhibent, nec reliquo corpori, nec capiti præcipue proficuum iudicare queo. Vt voluptatis gratia ſe iis commendat, qui corporis ſui partes ſucceſſiue calori frigorique obiicere amant, & tabaci fumum mox a conclaui fugare cupiunt: ita ſucceſſiua, ſubita & conſtans illa ſolidorum & fluidorum in humano corpore a frigore & calore (vid. §. VIII.

& IX.) mutatio non poteſt non damnum ei paulatim ingens adferre; præſertim cum frigidus aër, quotiescunque conclaue aperitur, vehementi vi in hoc irruens, corpus adhuc ſenſibilius adficiat. Quare non infrequens obſeruatio eſt, homines hoc caloris genere multum vtentes, malis §. XIX. ab initio recenſitis, aliisue ſæpius vrgeri. Sed vt alii mutationes illas ferre queant; meditaturis auctor eſſe velim, vt eas vitent.

§. XXVI.

Eſt vero nunc in primis de capitis velamentis dicendum: quæ ſine dubio corpora & vitae genera diuerſa in eadem regione diverſa requirere queunt. Fuit is ſine dubio error grauis Patrum & Auorum noſtrorum tempore, quod viri, partim capillis adſcitiis, faciem fere omnem, & vltra dimidiam thoracis partem abſcondentibus; alii multis pellibus; feminae vero aliis velamentis multis, & numeroſae nunc familiae ſufficientibus, caput vel ad tutamen, vel ad decus onerandum putabant. Correxerunt errorem eum annis abhinc multis regulae de ſymmetria melius expoſitae & cognitae: quamuis medici dudum machinarum illarum ingentium vſum disſuadere debuiſſent. Sed reſtitat alius error, priori, vt arbitror, antiquior, quo plures ad probe excalefactum etiam fornacem, & noctu in mediis plumis quaſi ſepulti, caput craſſis integumentis e plumis, pellibus, aliisue rebus conſtructis, involuunt: vt contra frigus id optime defendant. Poſſunt ſane ea fomenta quibusdam neceſſaria facere varii ſtatus, tum corpo-

corporis ſui, tum aëris; nec eis adſueto conſilium dare velim, vt eadem ſtatim abiiciat. Sanitati tamen magis prodeſſe ſtatuo, iis non adſueſci: ſin factum hoc ſit, proximum, eam conſuetudinem paulatim emendare.

§. XXVII.

Rapiuntur enim ſub eorum vſu, vti in alio fotu ſolent, humores copioſius verſus caput, coaceruantur ibi, & omnia ea patrant, quae (§ VIII. IX. XVI.) memoraui. Exhalantur vapores copioſi ſub iis integumentis, ſed paulatim maiori copia ibi collecti, ſecuturos reprimunt: quare coaceruati iam intra cranium valde augentur. Videmus hinc, ita agere adſuetos frequenter capitis doloribus, catarrhis, aurium & oculorum adfectibus variis vexari, vertigini obnoxios eſſe, & caput paulatim ad apoplexiam diſponere: qua tandem ſæpe ſubito corrripi ſolent, ſi praeſertim humoribus inebriantibus multis affluxum ſanguinis verſus caput & aeſtum in illo auxerint; hisque omnibus frigus magnum, illico ſuperveniens, tum reliquos humores intimiora verſus retropellat, tum adcumulatos ita omni ratione in cerebri vaſis cohibeat; vel fibrarum omnium vi aucta partem inde exprimat.

§. XXVIII.

Non ſinit locus hic exponere vitia omnia, quae a tali ſiniſtro capitis regimine in hoc produci ſoleant; ſi maxime, vt modo dixi, inebriantium potuum vſus multus acceſſerit. Paucis tamen hic notandum eſt, pertinere huc varias & turpes ſaepe in faciei cu-

te defoedationes & eryſipelas. Et vero ſimile mihi videtur, non frequentiorem habere originem plicam, quæ Polonos adeo moleſtat: etſi paulatim haereditaria diſpoſitione inuitari, vel excitari malum hoc magis potuerit.

§. XXIX.

Videtur ergo optimum conſilium, caput a teneris annis frigori mediocri ſemper adſuefacere: ob eam etiam cauſſam, ne illud calori nimis adſuetum, nimis a frigore mutetur; ſi huic, quod multa ſaepe poſtulant, exponendum eſt. In loco temperato ſatis eſt, veſte leui, nec integrum idem velare. Praeſtat autem modis multis, hyeme, calore hypocauſti moderato illud a frigore defendere, quam multis velamentis: ſub quo regimine humores ad caput rapiuntur, & tranſpiratio per omne corpus non rite procedit. Quem velandi modum ne dormientibus quidem in conclaui frigido proficuum eſſe iudico. Modice ergo hyeme caput in lecto tegatur, aeſtate minus adhuc; tempore omni in puluinari eleuetur, nec facies integra intra lectum abſcondatur.

§. XXX.

Longius adhuc proceſſit CELSVS (*) quando in eo loco, vbi capite infirmis regulas praeſcribit, has addit: *Capiti nihil aeque prodeſt, atque aqua frigida. Itaque is, cui hoc infirmum eſt, per aeſtatem id bene largo canali quotidie debet aliquamdiu ſubiicere. Semper autem*

(*) Libr. I. de Medicina cap. 4.

autem, etiamsi sine balneo vnctus est, neque totum corpus refrigerari sustinet, caput tamen aqua frigida perfundere. Verum vero & vtilissimum id consilium est. Qui tamen prior adparatus si forte minus placeat, expediet certe, caput aestate saepius frigida aqua perfundere. Magis temerarium adhuc multis videbitur consilium, quod paulo post CELSVS (*) subiicit: *neque vero his solis, quos capitis imbecillitas torquet, vsus aquae frigidae prodest: sed iis etiam, quos assiduae lippitudines, grauedines, destillationes, tonsillaeque malae habent. His autem non caput tantum quotidie perfundendum, sed os quoque multa frigida aqua fouendum est: praecipueque omnibus, quibus hoc vtile auxilium est, eo vtendum est, vbi grauius coelum Austri reddiderunt.* Est vero nec hoc contemnendum; cum eo tamen, ne tunc illa fiant, quando mala memorata iam adfligunt; vtque post eum vsum caput probe detergatur, quo minus humiditate sua noceat. (§. IX.)

§. XXXI.

Non adeo etiam infrequentes obseruationes docent, & aegros interno & externo capitis aestu vexatos huiusque tandem inpatientes, remedium sibi in frigore quaesiuisse & inuenisse. Memorat tale exemplum MAYERNE, (**) vbi aeger, rebelli capitis dolore conflictatus, linteum aqua frigidissima imbutum, toti caluariæ repetitis vicibus adplicauit, eoque remedio sanatus fuit. Quod ob cautelam, ab Au-

(*) cap. 5.
(**) Prax. Med. L. I. cap. 8.

Auctore additam, prae multis aliis adlego. *Credo*, inquit mox, *oportere caute eo vti, metu nimiae refrigerationis cerebri, a qua coma, lethargus, paralysis impendere possunt.* Sed vti metum eum non semper inanem puto, in senibus praesertim aliquibus & frigidioribus hominibus: ita plures exsistere casus queunt, vbi, si nimium humores calidiores, versus caput ruentes, iis, aliisue malis originem præbent, frigidus vel aër, vel humor capiti adplicatus, eadem auertere, vel tollere valet. Fuerunt ergo iam veteribus in vsu, & a GALENO commendantur in doloribus capitis, (*) in phrenitide & comate (**) frigus, frigidae perfusiones capitis ex papauerum capitibus & ex alto, ac infusiones ex oxyrhodino. Proximo autem abhinc saeculo Medicus in Anglia celeberrimus, THOMAS SYDENHAM, non aliis magis remediis contra phrenitidem et comata, tum in febre illa noua, quam ab hoc symptomate comatosam adpellauit, (***) tum in alia, peripneumoniae nothae specie, (*), in variolis, (**) inque aliis febribus continuis, (***) pugnauit, quam capitis refrigeratione, facta interdum quoque rasura capillitii, & positu illius elatiori; idque adeo felici cum successu, vt præstantissimi quique Medici vestigiis eius in hac quoque re insistere non dubitauerint.

§. XXXII.

(*) Vid de remediis facile parabilibus cap. I.
(**) Meth medend. libr. XIII. cap. 21. 22.
(***) Vid. Ann. 1673.-75. cap. 2. oper. Tom. I. p. 136.
(*) Vid. eius schedul. monitor. Tom. II. p. 517.
(**) Tom. I. p. 79. seqq.
(***) p. 29. seqq.

§. XXXII.

Quibus caput iusto humidius est, iis aërem humidiorem, nebulosum ac pluuiosum vitandum esse, facile adparet. Ad hos etiam in primis pertinet illud CELSI consilium: (*) *habitare ædificio lucido, perflatum æstiuum, hibernum solem habente: cauere meridianum solem, matutinum & vespertinum frigus; itemque auras fluminum atque stagnorum; minimeque nubilo cælo soli aperienti se committere, ne modo frigus, modo calor moueat: quæ res maxime grauedines destillationesque, concitat.* Iisdem quoque interdicendus est somnus multus, in quo humores ad caput copiosius deriuantur, præsertim diurnus, maxime autem meridianus. Vtile valde est, capillos frequenter ad cutem resecare, tum frictione moderate vti sæpius, præsertim mane, adiuuandæ perspirationi; capillos potius adscititios, quam proprios gestare, vt sudor a motu corporis, vel aliter interdum prouocatus abstergeri melius queat, nec cutem statim nimis relaxet, mox frigidus factus constringat, poros obstruendo transpirationi officiat, & molestam in capite sensationem producat: si vero propriis vti quis malit, frequenter eos pectere, vt vapores sub iis collectos abigat, & motus vibratorios ita in cute augendo transpirationem promoueat. Sed, seu propriis, seu alienis vtatur capillis, conuenit, nudum sæpius caput aëri, sed huic puro, sicco, non valde frigido, interdum etiam paulo calidiori exponere. Quæ tamen omnia validiora multum erunt ad detonsi, quam ad capillati caput roborandum, superfluosque humores huic auferendos. Secundum

 vete-

(*) Libr. I. cap. 2.

veterum inſtituta humida capita quoque oleo interdum fouenda forent, cui ex Galeni (*) præſcripto aceti non nihil adiectum ſit. Sed recte illæ capitis inunctiones, veteribus non Medicis magis, quam multis aliis olim adeo adamatæ, (**) nunc in Medicina exſulant, vel raro reuocantur; ſiquidem cutis poros obſtruendo, perſpirationi nimis obſunt, ſimulque, ſi calidiora olea adhibeantur, nouos ad caput humores nimis inuitant. Erit vero talibus capitibus conuenientius, cum frictione interdum vel vinum, vel vini ſpiritum exterius adhibere.

§. XXXIII.

Siccitatem raro capiti nocere, ſupra (§. IX.) monui. Si vero intenſe ſicca tempora ſunt, (ἐν τοῖσιν αὐχμοῖσι) febres acutas fieri HIPPOCRATES iam obſeruauit. (***) Eſt inter has, vel cum his, frequens inſania. Addit CELSUS lippitudines, (*) ſeu ophthalmias. Et addi praeterea queunt otalgiae. Mala autem nunc capitis tantum adlego, quorum rationes iam adduxi. (§. IX). Solent autem eadem facile oriri, ſi tempeſtas ſimul valde calida, qualem Hippocrates ſubintellexit, vel frigida ſit; & alio quoque tempore in iis, quibus capita valde ſicca ſunt, niſi ſiccitatem eam temperent interdum. Quod, præſertim ἐν τοῖσιν αὐχμοῖσι vel ſola aqua, ore frequenter detenta, vlterius in corpus admiſſa, vel vaporis frigidi forma capiti adpli-

(*) De remediis facile parabilibus cap. 1.

(**) de quibus vid. Celſus paſſim, Mercurialis de arte gymnaſtica. L. I. C. 8 Scacchi ſacrorum Elæochrismaton Myrothecium. I. C. 16. *ſqq.*

(***) Sect. III. Aphor. 7.

(*) Libr. II. c. 1.

plicata, iis facere licebit; quos ceterum hoc ab omni re, quae aestum in eo facile prouocat, defendendum, solemque in primis vitandum habere, rationes expositae (§. IX.) docent.

§. XXXIV.

Proposui praecipuas quasdam regulas, quibus organon illud nobilissimum, functiones omnes regens, & pro cuius statu animales in primis succedunt, integrum saluumque conseruari potest: vt reliquo corpori prosit & animae recte inseruiat. Praemisi illis de organi ipsius ratione expositionem, qualis instituto meo sufficere poterat: vt inde rationes illarum regularum intelligerentur. Quas ceterum frequens & sollicita multorum medicorum satis confirmavit obseruatio, & omnes propriis etiam exemplis, partim adhuc viuis, non paucis illustrauit Celeber. Dn. PRAESES in prælectionibus suis publicis in elegantissimi scriptoris A. CORN. CELSI libros priores de Medicina. Quae mihi ansam dederunt in hanc rem, litterarum studiosis maxime vtilem, curiosius inquirendi. Restat nunc ea consilia agitare, quibus mens recte dirigatur: ne quid in suo domicilio turbet, sed recte & commode semper eo, seu hospitio, seu organo vti queat. Vt enim plurima illorum & valde vtilia omnibus suppeditent Philosophi: ita multa iis adhuc addere Medicinae potest, e proprio penu desumenda. Sed hanc rem iam non ago; habeboque satis, si priora illa destinata mea perficiendo, lectori studium meum adprobauero.

FINIS.



NOBILISSIMO ATQVE CLARISSIMO

CANDIDATO SVO

S. P. D.

PRAESES.



Non inſcite Galenus tum empiricos, tum eos, qui falſæ theoriæ curandi methodum aptant, vt paſſim, ita in illo loco, qui in diſſertatione TVA *e libro XIII. methodi medendi allegatus eſt, exagitat. Diſſerit ibi de applicatione oxyrbodini in phrenitico malo, quod omnès Medicos capiti admouere dicit. Quaerit ergo, an prudenti conſilio omnes id faciant, & ſic diſputat:* Empiricus namque ab experientia ſe ait ejusmodi medicamentorum nactus inventionem. Qui autem & hanc vituperat, & inquiſitionem de actionibus refugit, huic vnde, quæſo, ſuccurrit, vt pro thorace caput in phreniticis madefacere eligat? Ceterum hoc ipſum oxyrhodinum, quod capiti phreniticorum applicamus, ceu quidam ex amicis dicere ſolebat, non ſolum amethodos iſtos Theſſali ſectatores, ſed etiam reliquos manifeſte redarguit univerſos, quicunque principem animi partem in corde ſtatuunt. Nam cum aliquando vidiſſem quendam ex Athenæi diſcipulis caput aceto & oleo miſtis perfundentem, prohibui: juſſique pectori admovere id remedium. Quippe læſam in delirio eſſe partem principem: eam autem eſſe autore Athenæo incorde: itaque non recte relicto pectore caput eum, integrum præſertim membrum vexare, eique negotium

tium facessere, nunc oxyrhodinum infundendo, nunc radendo, tum spondylium, aut serpillum, aut id genus aliquid admovendo, imo vero, si malum traheret, etiam castoreum, aut certe etiam cucurbitam. Quippe id esse persimile, ac si, cui in femore phlegmone sit, calcaneo remedium applicet. *Absurdum hoc esse, clamabunt statim omnes: si de malo idiopathico in sede sua aggrediendo quæstio sit. Quare etiam Galenus paulo ante monuerat, fieri sane posse, ut corde etiam affecto phreniticus quis efficiatur. Sed quæ frequentior adhuc usque diem in morborum curationibus luditur fabula, quam similis huic, qua calcaneo aptatur remedium, femori arripiantur, hoc æque frequenter [illegible] agitur, applicanda. Nil est minulli practicos vulgares ita curationes suas instituere, ceu qui ad has ab omni disciplina imparati accedunt, nec proinde aliter agere queunt. Id multo mirabilius est, inter Medicos sane doctos exstitisse, qui scientiam humani corporis tum sani, tum ægri, rerumque præterea naturalium in Medicina supervacuam esse contenderent: cum sine illa omni sæpe scire nequeat, quæ pars corporis maxime laboret, cui parti vel præcipue, vel utiliter tamen remedia prospicienda sint, & quæ tandem horum præ reliquis ægro conveniant. Sed fidem fere superat, fuisse semper inter Medicos, qui rationales sese profitentur, multos Theoriæ obtrectatores: quasi agere sine hac non sit idem, ac sine lumine artem pictoriam exercere: quod sane facere ad præscripta quædam non impossibile est, sed quam belle, cuivis intelligere licet. Longe vero alia via ad Hygienæ sacraria contendendum* TIBI *esse*, CLARISSIME CANDIDATE, *recte judicasti, ex quo tempore ejus rei causa in hanc Academiam* TE *contulisti. Instructus jam iis copiis litterariis, quas afferre debent in Academias,*

qui

qui in hoc mercatu bonas artes sibi comparare gestiunt, Medicinæ partes omnes theoreticas & practicas ordine, seduloque tractavisti, attentus semper, quomodo observationes & rationes sibi mutuo inservirent, & alteræ alteris lumen accenderent. Quoque id rectius facere posses, præstantissimorum Medicorum consilium secutus, disciplinas mathematicas & philosophicas præcipuas cum medico studio semper conjunxisti. Quare ut nemini Ordinis nostri dubium ante ullum fuerat, probe paratum ad praxin medicam faciendam TE *aliquando accessurum, & Medici veri nomen re tuiturum: ita multo magis in ea opinione confirmati fuimus in iis examinibus, quæ promptum ad [illegible]eunda habent, & quibus* TE *quoque studiorum exhibes dissertatio[illegible] Aliis specimen* TVORVM *borata; & crastino die dabis sine dubio, [illegible] ipso elastructa in illa ea promptitudine & doctrina, qua in [illegible] arena Commilitonibus* TVIS *victoriam sæpe dubiam reddere annixus es. Ne autem* TIBI *eam aliquis eripiat, minime vereor; & obtenta illa, laurea doctorali, ut bene merentem, lætus & plaudente toto choro* TE *condecorabo. De quo decore jam nunc* TIBI *ex animo gratulor, nec minus de omni vita Academica apud nos probe peracta. Adsit porro Summum Numen studiis* TVIS *& consiliis omnibus, ut Suam ante omnia iis gloriam promoveas, sanitatem plurimorum conserves & restituas, Patriam ornes, & res* TVAS *omnes ad exemplum* PARENTIS TVI, VIRI JVRISCONSVLTISSIMI, ET IN EO DICVNDO EXERCITATISSIMI *semper felicissime agas. Ita diu senectutem Illius oblectare, Helmstadii, grati quondam Ejusdem hospitii, & unde maternum genus ducis, cum Eo memor vive, & me, quod facis, ama. Vale. Dab. A. O. R.* CIƆ IƆ CC XLV.

d. 26. Sept.

) ✿ (